

*De variis hominum in Republica
Ordinibus*

REI.
LITERARIÆ. ET. MILITARIS.
DE.
PRÆROGATIVA.

IN. REPUBLICA.
CERTAMEN.
ORATORIO. EXERCITIO. CONVENIENS.
INSTITUTURI.

JOHANNES. GEORGIUS. LIBER. BARO.
IN. RAGHNITZ. &c. &c.

ET.
FRIDERICUS. AUGUSTUS. KÜHLWEIN.
LIPSIENSIS.

PATRONOS. SUOS. ET. FAUTORES.
UT. SE. DICENTES. BENEVOLE. AUDIRE.
VELINT. DECENTER. ORANT.

INTERPRETE.
M. JOH. VALENT. MERBITZIO.
DRESDENSI.
SCHOLÆ. PATRIÆ. CONRECTORE.

DRESDÆ.
TYPIS. VIDUÆ. ET. HÆREDUM. BERGENIORUM.





T omnibus in rebus ordinem, quo nihil aut ad intuendum pulchrius, aut ad animi oblectationem, jucundius, aut ad usum commodius esse potest, convenientem inquirimus & confectamur, ita & in Republica enitendum auctores svadent, civēs quoque aptā ac decenti colloca-
 tione sic constituere, ut primi postremis, medii utrisque, omnes omnibus nexu quodam ac vinculo inter se, & cum Republica jungantur. Benè namque intelligunt, solum ordinem præstare, ut multa quæ sunt, ad unitatem redigantur, quæ ipsa firmum contra omnem vim irruentem præsidium. Huc illi etiam respicere videntur, qui de Republica loquentes cum iis eandem rebus, utique non ineptā similitudine conferunt, quæ dignitate vel usu inter se diversa, paribus disparibusque, suo cuique loco distributo, unum faciunt. Chorus inquit Erasmus, quemadmodum est res elegans, si quidem ordine constet & harmoniâ: contra ridiculum spectaculum, si gesticulationes unâ cum vocibus confunduntur: ita præclara quædam res est civitas, aut regnum, si suus cuique datur locus, si suo quisque fungitur officio, &c. Homini similem Rempubl. Dionysius Halicarnassæus dixit, in quo per quandam proportionem ac similitudinem animus Senatuum, corpus verò plebem refert: cui paria habet Isocrates, quando animam civitatis illius administrationem facit: hæc inquit, est, quæ de omnibus consultit, simul conservans quod commodum, simul nocivum devitans. Huic oportet & leges & Oratores, & privatos homines esse similes, & sic unumquemque agere, prout illam sit nactus. Clarius hæc, utut alibi cum nave comparet, Bodinus tradit: Est illa sapientibus probata sententia, beatam Rempublicam humani corporis imaginem referre. Hujus autem membra omnia inter se aptā ac mirabili coagmentatione colligata officium ac munus à natura sibi tributum accuratissimè obeunt, mutuisque præfidiis & auxiliis ad universi corporis formam & salutem procurandam incredibili consensu & concordia conspirant: non aliter de Republica nobis est judicandum, cujus dignitas & salus ex mutuâ civium inter se & cum Principibus benevolentia existit.

Hæc ipsa verò membra vel ordines dixeris, variè à variis distributa video, prout magna est locorum temporumque diversitas. De Busiride Isocrates memorat, quod civibus apud Ægyptios ordine distributis, alios sacris præfecerit, alios

Scalig. de
Subtil.
Exerc. 2.

Aug. de C. D.
l. 19.
de Instit.
Princip.

lib. 3.

In Areopagit.
oratio.
ne.

de Republ. l.
1. c. 2. num.
10.
l. 4. c. 5.
num. 444.

In ejus lau-
datione.

alios opificiis destinavit, alios rei militari vacare coegerit, existimans res necessarias & opes tum è terræ cultu, tum ex opificiis suppeditari oportere: earum autem custodiam tutissimam esse tum rei militaris exercitationem, tum pietatem erga Deos. Ubi nec illud tacere possum, quod eximium in eò laudat Isocrates, omnes ipsum numeros earum rerum, per quas optimè Respubl. constitui queat, absolvisse, dum ut singuli easdem res perpetuò tractarent, imperavit, haud ignarus, eos, qui subinde aliud atque aliud munus susciperent, nihil exquisitè cognitum habere; eos autem, qui rebus iisdem perpetuò essent occupati, in suo scientiæ genere plurimum excellere. Indi septem ordines olim, Agricolarum scil. Pastorum & Venatorum, Opificum, Militum, Ephorum, & Præsidum, Consiliariorum & Assessorum fecisse dicuntur. Plurimi tamen in tres discescunt; ita Plato, qui in Custodes, Milites & Agricolas dividit, & Hyppodamus Pythagoræus, cui ordinem consiliarium, auxiliarium, & operarium dicere placuit, ad primum viros prudentes referenti, qui Rempubl. gubernant, publica que tractant negotia, ad secundum robustos atque fortes, qui in eadem defendenda sunt occupati, ad tertium autem qui res vitæ necessarias exhibent. Sub singulis tamen tres aliòs ordines complexus fuit, novem in universum constituens: quæ prolixius apud Timplerum c. l. pertractata reperias. Romanis itidem ternarius probabatur, quorum erant Senatores, Equites atque Plebs, eaque vel urbana vel rustica. Opifices nempe civium numero, strictè loquendo, excludebant lege Romuliâ, agriculturam ac militarem vitam iis concedente, servis interim opificiis sellulariis ac fordidis artibus addictis. Illiberales sunt, inquit Cicero, & fordidi quæstus, mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur, est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis, &c. Contra quando de civibus Romanis agit, nihil abjectum, nihil vile, nihil denique nisi cum dignitate aut sentit aut scribit. Ut adeò ex eo intelligatur, ut benè Bodinus colligit, servos & infimæ conditionis homines Romæ opificia tractasse, aut si Romani cives manumissione fierent, libertinos tamen fuisse, & quodammodo civium Romanorum jus amisisse: non aliter atque nobiles apud nos; qui se fordidis & quæstuariis artibus dediderunt, nobilitate, sic etiam ordine illos, gradu, dignitate decidisse. Idem Græcis quoque civitatibus in usu fuit: quod ut Aristoteles addit, animi excelsi vim ac robur mercede conducti penitus amittant, & si He-

Timpl. Polit. l. 1. c. 5. qv. 12.

de legib.

Dionys. Hist. l. 2.

Offic. l. 1.

l. 3. c. 8. num. 358.

Polit. l. 3. c. 8. in Euterpe.

c. 38.

rodoto fides sit, omnium populorum moribus conveniens. Neutiquam tamen Hebræorum in Republ. institutum hoc fuisse, ex illo Ecclesiastici, Bodinus mihi probatum dederit; qui judiciis tantum, aliisque publicis officiis eosdem vacare posse negat, & iis arceat.

*Braudlacht.
Epit. Jur.
publ. p. 114.*

*Becker. Synops.
Jur. Imper. l. 3.
c. 10. & c.*

*Epist. 8.
Cent. 1.*

*Cæs. B. G. l. 1.
c. 1.*

*De Invent. l.
3. c. 16.
c. l. l. 1. c. 5.
qv. 15.*

*De Mor.
Germ. cap.
ult.*

*l. 3. c. 8. n.
348.*

Nostri quidem Imperii membra, quod ad civitatem, variè distingvunt, qui de publicis solliciti hæc attingunt, tacitè tamen admittentes ternarium, qui sit imperantium & parentium nobilium, & ignobilium; Ibi enim alii immediati cives audiunt, qui sunt Status illi, decem in circulos divisi: è mediatis quidam eminentioris, alii inferioris conditionis esse dicuntur, qui & ipsi in superiores & inferiores abeant, ut illis negotiatores & mercatores, his tandem artifices manuarii & agricolæ accersantur. Benignius nempe & cum mercatoribus & opificibus nunc agitur, licet inclementer ipsis dicat Lipsius, quando eorum quidem artem ab opibus ad vitia ducere, animum emollire & effœminare putat, unde cum Belgis olim civitate facile interdiceret, qui hodiè commoda mercaturæ melius edocti ab eâ vel sola pendent. In importandis enim, ut habet Polydorus Virgilius, quin & exportandis, quod Timplerus observat, mercibus, vitæ humanæ necessaria ubique locorum suppeditat, multarum quoque ac maximarum rerum usum experientiamque homines edocet, ad barbarorum insuper necessitudines, Regumque amicitias contrahendum plurimum valere censetur. Tum multæ urbes in loco tam sterili sitæ sunt, ut in iis sine mercaturâ non tantum non commodè vivi, sed ne vivi quidem possit. Defectus igitur iste rerum quarum indigi sumus, importatione à mercatoribus suppletur. Opifices autem quis excludat? cum eam quidem felicitatem, quam Fenno- rum suo tempore Tacitus fuisse refert, qui securi adversus homines, securi adversus deos rem difficillimam assecuti, ut illis ne voto quidem opus fuerit, nec optemus nobis dari, nec probemus: victui quippe herba, vestitui pelles, cubile humus erat, venatu viris pariter atque foeminis viventibus, cætera nec ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe, metuque versare solitis. Placent hîc quæ Bodinus scribit, ipsi quidem de servis dicta, sed citra injuriam ad opifices, quorum munus istos olim subiisse, supra monui, referenda. Sunt in humano corpore membra, non turpia illa quidem [quia nihil quod sit à natura, turpe esse potest] sed tamen ita pudenda, ut nemo nisi valde impudens, ea revelare sine pudore debeat; num propterea ta-
men

men corporis membra esse desinunt? Pedes ipsi perpetuo labore corporis totius molem sustinent, ac circumferunt, sapiusque luto, fordibus, pulvere squallent; quis tamen usque adeò demens à corpore ressecandos putet? Quod si membra ista partes corporis & sunt & vocantur, cur eadem ratione hos civitatis membra dici non patiemur?

Quandoquidem autem membra in corpore humano virtute ac dignitate præstant & inter se differunt, dubium non est, quin simile quid de civibus in Republica sit sentiendum, utut rarissimè & non nisi urgente necessitate, cives à civibus ordine dividendos Politici censeant; quod multa inde incommoda sint metuenda, cum alii ab aliis non tantum sejuncti sunt, sed etiam ordinis discrimine se notari vident. Bodinus toties jam citatus nobis, triplicem animorum facultatem refert, quâ cum cives in Republica conferat; Sensum communem, Rationem & Intellectum, ita ut sint Pontifices ac Philosophi (credo qui antiquum Philosophiæ splendorem tuerentur, Pythagoræ, Platonis aliorumque vestigia premerent, non tantum rudimenta artium liberalium tradentes, quibus vel optimis, statim post Theologos Lansius locum tribuit) qui in rerum divinarum & ab hominum sensibus abditarum disquisitione versantur, quasi mens ipsa civitatis: Principes ac Magistratus in imperando, judicando atque omninò in civibus prudentiâ moderandis solliciti, quasi ratio ipsa civitatis; Milites, Opifices, Agricolaë in iustis exsequendis, atque in opificiorum varietate occupati, & ad id quod adest, sensu communi feruntur. Alii eum qui summum in civitate imperium obtinet, dicunt esse ad civitatem totam id, quod caput est ad totum hominem. Sed rectius expedire hoc mihi visus Hobbesius, quando eum, qui tali imperio præditus est (sive homo sit, sive curia) habere ad civitatem rationem non capitis, sed animæ asserit. Anima enim ait, est, per quam homo habet voluntatem, hoc est, potest velle & nolle: ita per eum, qui summum habet imperium & non aliter, voluntatem habet, & potest velle & nolle civitas. Cum capite conferendus potius est coetus Consiliariorum &c. Capitis enim officium consulere est, sicut animæ imperare. Princeps igitur, vel qui ejus loco, anima erit, cives corpus, in quo caput Senatus, pedes è Tholosani sententia, Mercatores: Agricolaë forsitan cum Opificibus manus, perpetuo qui labore fatigati; Milites autem corpus omnem impetum sustinens.

Patet haud obscurè præstare invicem ordines dignitate: qui verò alteri præferendus sit, hic sane nodus, quem æque

l. 5. c. 7. n. 512.

de Acad.

de Cive c. 6. num. 14.

de Republ. c. 7.

Panciroi.
conf. 6. num.
2. Besold de
Præced. 6. 3.
num. 8.
Jovius l. 22.
Cass. Enst, E-
pidorp. l. 1.

ac Gordium Alexander, sæpius ferro rumpi videas, & quod Principibus concessum auctores volunt, prærogativam vel armatâ manu posse defendere, inferioris etiam fortis sibi sumere observes. Quid Carolus Borbonius, Andreas Doria, à Francisco I. ad Carolum V. deficientes, Archipræsul item Colonienfis in coronatione Henrici sexti, ipsum imperatorem, fastigii sui ac potestatis velut immemorem, importunitate suâ ad preces cogens, fecerint, referre nolo; recentiora ubi vis extant, quia quotidiana sunt, & quasi communis lues, inmoderata talis modi ambitio, quâ tantum non infimæ plebis homunculi trahuntur. Causa sine dubio proprii amoris est cæcitas, tanta quidem, ut aliis, quibus comparari vix potest, præstare arroganti ingenio sibi quisque persuadeat, dona que sibi quidem negata, in aliis aut non agnoscat aut contemnat, & si qua in re præstet, perspicillo tam grandi usus eandem intueatur, ut omnem magnitudinem, omnes vires facile superare credat. Inde generis & familiæ antiquitas, potentia & opes, titulorum pluralitas, ipsa ætas, temporis prioritas & quæ sunt hujusmodi alia in consilium vocantur, quæ de barbara præcedentia & exortis inde litibus, satis sollicitos Doctores habent.

de Offic. l. 1.

Sed ne nostri tantum sæculi arbitrere, Ciceronis tempore jam quæsitum fuit; togata virtus, an bellica præstaret? quo de hodie adhuc, tãdiu controversia est. Ipse quid sentiat expedit:

Cedant arma togæ, concedat laurea lingvæ:

pro Murana.

parvi enim sunt foris arma, nisi est consilium domi, id quod prolixè variis & rationibus, & exemplis prosequitur. Quem ne forte quis minus sibi constare putet, quando sequentibus Consulem & Imperatorem confert: Vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas: ille, ut eò, quo intendit mature cum exercitu perveniat. Tegallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat. Tu actionem instituis: ille aciem instruit. Tu caves, ne tui consultores: ille ne urbes, aut castra capiantur. Ille tenet, & scit, ut hostium copiæ: tu ut aquæ pluvie arceantur. Ille exercitatus est in propagandis finibus: tu in regendis: ubi demum concludit; rei militaris virtus (dicendum est enim quod sentio) præstat cæteris; tenendum omninò, non aliò hæc ab eo dici, quàm quatenus ad Consulatum adipiscendum studia hæc & artes faciant, ubi multò plus afferat dignitatis, rei militaris, quàm juris civilis gloria. Rationes in utramque partem adducendas Harsdörfferus colligit, qui tamen ut ipse iudicio abstinet, ita nec planum lectori facit, quid statuatur, cuius ad aures non pervenerit tritum illud:

Delic. Mathem. Paris.
3. part. 12.
qu. 22.

Est

Est toga Marte prior, calamus victricibus armis:

Quæ non arma queunt vincere, scripta queunt.

Verum & alios decisionem quæstionis hujus fugere sentias, minimum temperamento quasi aliquo præcavere, ne odium ipsi vel invidiam incurrant. Gaius quidem in actibus militari-^{Obs. 118.} bus militem Doctorem, & vice versâ, in actibus facultatis Do-^{n. 15.} ctorem militi anteponendum esse censet: quod ipsum tamen ut ad summos tantum, & præstantes in arte viros pertinet, qui consilio & operâ Reipublicæ adesse queant, ita nec eos respicit, qui nomen militis sibi sumunt, verius purgamenta urbium^{Cart. l. 10.} suarum, quæ in bellum confluunt, & ut Vegetius loquitur^{c. 2.} tales armis sociantur, quales domini habere fastidiunt. Bo-^{l. 1. c. 7.} dinus hic nescio quam honoris atque imperii rationem diversam init; quo arcano, suo judicio, nullum ferè majus sit, nec ad tuenda optimatum & popularia imperia utilius. Militaris disciplinæ ait, ac bellicarum rerum arbiter ac mode-^{l. 3. c. 6. n. 321.} rator apud nos est Connestabilis; domesticæ verò disciplinæ ac judiciorum princeps est Cancellarius, uterque utriusque disciplinæ Magister in summa potestate constitutus, nec alter alterius imperio tenetur, sed uterque utriusque æqualis eodem gradu ac ordine incedit; nihilominus magister militum dignitate superior est, dextrumque Principis latus occupat, Cancellarius sinistrum. Ac ne quis putet eum ordinem magistro militum tribui, quasi gladium Principis ad dextram præ se ferre teneatur; quoties locorum angustia non ferunt, utrumque simul incedere, magister militum antecedit, deinde Cancellarius, quem Prætorio Præfectus sequitur, &c. Vide quæso, quousque laudis & honoris studium sit progressum, ut quæ plerisque inanis videtur gloriæ cupiditas, & à quâ bonum virum distrahi putant oportere, tanta sit, in quam omni contentione præ cæteris ferantur. Id quod ducit, sola est virtutis opinio; dummodo impleant, qui eam habere satagunt, non culpanda, cujus adeò publicum aliquod testimonium extare cupiunt. In quo quidem Romani illi veteres, quæ essent verissima virtutis præmia, penè soli tenuisse videntur, qui ex omni genere coronarum, quæ plurimæ fuerunt, nullam pretio majori æstimaverunt, quam gramineam, quam uni ex omnibus Romanis civibus, Quinto Fabio maximo Dictatori, cujus non dimicare, vincere fuit, decreverunt, duorum verborum commendatione, scilicet Patriæ Servatori. Ita templum, quod Marcus Marcellus, victoriis quadraginta novem, ab hostibus reportatis inclutus Honori ac Virtuti dicatum voluit, pariete medio rectè Pontifices

Plin. H. N.
l. 22. c. 3. & c.


Valer. Max.
l. 7. c. 3.

Liv. l. 7. dec.
3. Valer. l. 1.
c. 1.

tifices sic diviserunt, ut nemini ad templum Honoris pateret
aditus, nisi prius patefactâ Virtutis portâ.

Ignosces Amice Lector, prolixius hoc de argumento, quam
par fuerat, vel moris etiam nostri est, differenti, quo de luben-
tius alios, & quorum studia hæc sunt, ipse audio. Ansam sci-
licet, scribendi dedit, par nobile juvenum, ex illis quos fidei
meæ suorum meam in tenuitatem fiducia creditos voluit,
Perillustris nempe & *Generosissimus* Dominus, Dn. JO-
HANNES GEORGIUS, Liber Baro in RAGKHNITZ, Dominus
in Perneck, S. Ulrich, *Ober-Marburg/ & Ober-Kinberg/* &c.
qui tuam fortassis in se audiendo benevolentiam jam exper-
tus fuit, ut & profapiæ splendore, virtutis atque spei, quam
amplam æq; alit laude *nobilissimus*, FRIEDERICUS AUGUSTUS
KÜHLWEIN, Lipsiensis, uterque in familiæ suæ maximum
decus natus & educatus, qui ex in finita illâ, qua de sermo ha-
beri potest, copiâ, geminum sibi Ordinem elegerunt, quo de
publicè nostro in Auditorio dicerent, literatorum scil. atque
militum; uter merito suo alteri præferendus in Republica
videatur. Rogamus igitur A. L. velis crastinâ luce, si Deus
concesserit, secundâ pomerid. perhonorificâ tuâ præsentia
nos dignari, dicentes benevolè audire, adeoque alios etiam,
in hoc stadio ad decurrendum, excitare, id quod omni obse-
quio, operâ, labore & studio pro viribus demereri conabi-
mur.

Tu verò optime RAGKHNITZI, qui ultrâ quadriennium
hospite me & informatore usus es, animo mecum post hæc
acturus, in Academiâ nunc discedis. Ægrè sanè accideret, nisi
hunc etiam rerum ordinem, teque Ordinis tui raro exemplo
Humanioribus instructum, Summo Mecænate tuo, & quos
penes est arbitrium, *Illustrissimis Dominis Patruis tuis,*
Dominis meis gratiosissimis approbantibus abire nossem,
veluti ad mercatum optimarum artium & scientiarum, qui-
bus avidam adeò mentem imbuas, magno aliquando Patriæ
commodo futurus. Age sic porrò enitere, ut primum o-
mnium pietatem faciens, pulsus labore voluptatum illece-
bris, animi dotibus utare, senties profectò, nunquam deesse
divinum Numen in se confidenti. Tum fortunatissimi ego
me beatum magistrum factum, magnamq; felicitatis meæ
partem in te, svavissime RAGKHNITZI, positam esse, omni gau-
dio plenissimus arbitrabor. Dabam die XIII. Junii,
anno Salvatoris M. DC. LXXXVI.



long

mc



T omnibus in rebus ordinem, quo nihil aut ad intuendum pulchrius, aut ad animi oblectationem, jucundius, aut ad usum commodius es-

Scalig. de Subtil. Exerc. 2.

Aug. de C. D. l. 19. de Instit. Princip.

lib. 3.

In Areopagit. oratione.

de Republ. l. 1. c. 2. num. 10. l. 4. c. 5. num. 444.

In ejus laudatione.

res svad
constitu
omnibu
blica ju
nem pr
quæ ip
um.
ca loque
litudine
ribus di
unt.
gans, sic
culum
confun
gnum,
officio,
licarnat
militud
cui par
ministr
fulit, si
devitar
mines
fit na
Bodinu
tam Re
jus aut
tatione
accura
versi c
confer
nobis
vium i



inquirimus & confe-
ca enitendum aucto-
centi collocatione sic
edii utrisque, omnes
ter se, & cum Repu-
telligunt, solum ordi-
unitatem redigantur,
m irruentem præfidi-
ntur, qui de Republi-
tique non ineptâ simi-
usu inter se diversa, pa-
distributo, unum faci-
nadmodum est res ele-
rmonia: contra ridi-
nes unâ cum vocibus
m res est civitas, aut re-
i suo quisque fungitur
mpubl. Dionysius Ha-
m proportionem ac si-
us verò plebem refert:
imam civitatis illius ad-
t, quæ de omnibus con-
odum, simul nocivum
ratores, & privatos ho-
que agere, prout illam
i cum nave comparet,
probata sententia, bea-
s imaginem referre. Hu-
tâ ac mirabili coagmen-
à natura sibi tributum
æfidiis & auxiliis ad uni-
rocurandam incredibili
non aliter de Republ.
as & salus ex mutuâ ci-
nevolentia existit.

H
distributa video, prout magna est locorum temporumque
diversitas. De Busiride Isocrates memorat, quod civibus
apud Ægyptios ordine distributis, alios sacris præfecerit,
alios

